



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Subsect. 1. Rationibus demonstratur nostra conclusio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

QVÆSTIO III.

Vtrum Deus sit infinitus.

PRIMA conclusio: Deus est infinitus per essentiam. Hæc conclusio est de fide, definiturque in Concilio Lateranensi, cap. Firmiter, de Summa Trinitate, & fide catholica, & expresse docetur in Scriptura Baruch. 3. [Magnus est, & non habet finem excelsus, & immensus.] Quæ verba transcripsit supra dictum capitulum Firmiter, ibi: [Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod vnus solus est verus Deus, æternus, immensus absque initio semper ac sine fine,] & Psalmo 144. [magnitudinis eius non est finis,] vnde Gregorius Nyssenus, orat. 1. in id Gen. 1. [faciamus hominem &c. magnum (inquit) cogita Deum, & huic magno plus etiam atque etiam adde quam cogitasti, atque exple cogitationem tuam, neque vnquam, quæ infinita sunt capies, nec magnitudine concluditur, nec finibus cohibetur:] & diuus Basiliius homilia in Ioannem, ibi [infinitus pater, infinitus filius,] & Damascenus lib. 1. de fide, cap. 4. infinitus est deus & incomprehensibilis, atque hoc vnus ex eo percipi, ac comprehendere potest, quod nimirum ipse infinitus, atque incomprehensibilis sit, quibus consonat diuus Dionysius de diuinis nominibus, cap. 9. ibi. [Magnus est super omnem magnitudinem, omnem transiens infinitatem.] diuus Augustinus, lib. 2. de Trinitate, clarius finitum sub infiniti dei potentia comprehenditur, & quia per essentiam infinitus est magnitudine, superat omne quod finitum ab infinito participat,] & lib. 4. de ciuitate Dei, [quod secundum naturam infinitum est, nullis creaturarum terminis, ac limitibus comprehenditur, & continetur,] & lib. de Genesi ad Hebræos, [quia essentia infinitus, & natura omnipotentia similiter infinitus & magnitudine.] & Theodoretus sermone 2. de providentia: [deus ipse, & increatus, & infinitus est, omnia complectitur ipse à nullo circumscriptus,] tandem diuus Thomas 1. parte, quest. 7. art. 1. in corpore, docet & probat his verbis deum esse infinitum; [considerandum est igitur, quod infinitum dicit aliquid ex eo quod non est finitum; finitur autem quodammodo, & materia per formam, & forma per materiam.]

Materia quidem per formam in quantum materia antequam recipiat formam, est in potentia ad multas formas: sed cum recipit vnā, terminatur per illam; forma vero finitur per materiam in quantum forma in se considerata, communis est ad multa, sed per hoc quod recipitur in materia fit forma determinate huius rei. Materia autem perficitur per formam, per quam finitur: & ideo infinitum secundum quod attribuitur materię, habet rationem imperfecti: est enim quasi materia non habens formam, forma autem non perficitur per materiam, sed magis per eam eius amplitudo contrahitur, vnde infinitum secundum quod se tenet ex parte formę non determinatur per materiam, habet rationem perfecti; illud autem quod est maxime formale omnium est ipsum esse, vt ex superioribus patet; cum igitur esse diuinum non sit esse receptum in aliquo, sed ipse sit suum esse subsistens, vt supra ostensum est: manifestum est quod ipse Deus sit infinitus, &

perfectus,] ipse diuus Thomas lib. 1. contra Gentiles, cap. 43. argum. 10. docet etiam antiquos Philosophos hanc veritatem asseruisse tanquam instinctu naturę ductos, ibi: [huic etiam veritati attestantur antiquissimorum Philosophorum dicta, qui omnes infinitum posuerunt primum rerum principium, quasi ab ipsa veritate coacti, propriam enim vocem ignorabant, existimantes infinitatem principij ad modum quantitatis discretę, secundum Democritum, qui posuit atomos infinitos rerum principia, & secundum Anaxagoram, qui posuit infinitas partes consimiles rerum principia, vel ad modum quantitatis continuę secundum illos, qui posuerunt aliquod elementum vel consulum aliquod infinitum corpus, esse primum omnium principium, sed cum ostensum sit persequentium Philosophorum studium, quod non est aliquod corpus infinitum, & huic coniungatur, quod oportet esse primum principium aliquomodo infinitum, concluditur quod neque est corpus, neque virtus in corpore infinitum illud, quod est primum principium.] Licet hæc omnes auctoritates Sanctorum Patrum nostrę veritati nimirum quantum lucem fulgentissimam ostendant, verba nihilominus Sancti Hilarij supra illud locum Psalms 144. magnitudinis eius, &c. non sunt silentij tenebris inuoluenda, quæ elegantissime scopi nostrę sententię directe collimant, ibi: [hæc dei prima & præcipua laudatio est, quod nihil in se mediocre, nihil circumscriptum, nihil emensum, & magnitudinis suę habeat & laudis. Virtus eius opinione non clauditur, locis non continetur, nominibus non enuntiat, temporibus non subditur: ætæ ad id sensus noster est, ingenium hebes est, sermo mutus est, finem magnificentię ipsius nescit, & aliquam ementendi se opinionem immensa magnitudo non patitur, extenta vbique extensa semper est, hanc habens infinitatis suę laudem, ceterum omnem intelligentiam infinitę huius in se qualitatis excedens,] nec minus eleganter Damascenus libro 1. cap. 1. explicans responsum Dei ad Moysen Exodus 3. [Ego sum, qui sum.] vbi de ipso esse Dei loquens sic ait, [totum in se comprehendens velut quoddam pelagus substantię infinitę,] quorum vestigia præmens Richardus lib. 2. cap. 5. 6. & 7. in fine, his concludit, [iam de superioribus habuimus, & pro certo habemus, quod substantia diuina non sit aliud aliquid quam immanitas suā, quam infinitas, & magnitudo suā.]

SVBSECTIO I.

Rationibus demonstratur nostra conclusio.

QVia illud ens, quod nullam habet causam suam esse, est illimitatum atque infinitum per essentiam: sed deus nullam habet causam sui esse: ergo deus habet esse illimitatum, & infinitum per essentiam. Maior ex terminis patet & à me demonstrata manet in Physicis disputat. de infinitate, quest. 1. de infinitate per essentiam, & breuiter sic nunc ostenditur, quia cuiuscunque entis limitari finitudinem reuocamus ad aliquam causam illius, quæ scilicet vel non potuit vel noluit esse: cui suo dare vltiorem perfectionem, ac proinde tribuit illimitatam, & terminatam perfectionem: ergo à contrario sensu ens, quod nullam habet causam, non est à quo possit limitari in esse; vnde

si à se habet esse, & non est maior ratio vnus esse, quam alterius, habebit sine dubio omne esse sine limite, ac sine; vnde habebit infinitatem, & illimitationem, ac per consequens summam, & interminatam perfectionem, quia infinitudo est non solum esse, sed etiam summa perfectio essendi: ergo si habet omne esse sine limite habebit infinitatem, quod est verum, & proprium esse, præcipue, quia infinitudo per essentiam debet esse in aliquo ente, sed non in ente creato, & participato: ergo in ente omnino, ac summe perfecto increato, & independente, alias non haberet infinitam participabilitatem à creaturis, sed ita esset limitatum ad aliquod esse, vt aliud esse non posset ab illo participari; vnde in participabilitate, terminis, finibus, ac limitibus circundaretur, quia id quod potest participari ratione participabilitatis est ipsum esse per essentiam, sed ipsum esse, esset finitum, & limitatum per vos: ergo id, quod potest participari esset finitum, & limitatum: atqui id, quod potest participari est participabile, & habet participabilitatem: ergo esset limitatum, & finitum, quatenus participabile est, & quatenus habet participabilitatem, sed non est illo modo in singulis perfectionum generibus, ita limitatum ad certum aliquem, & definitum gradum, qui in participato ente intelligi possit quin habeat perfectionem illam essendi nobiliori, eminentiori, & excellentiori modo, quam possit à creatura participari, etiam si magis, ac magis in infinitum participetur, & etiam si infinita sint creaturae possibiles individualiter, & essentialiter distincta, quæ sine limite, & sine posint infinitas perfectiones ab illo ente à se independente, & increato per totam æternitatem participare manendo ipsum ens in exhaustum, ad in superiori gradu, quo existunt creaturae, quæ ab ipso participant esse: ergo illud ens quatenus non habet causam sui est infinitum, & illimitatum per essentiam, quia cum à nullo participet esse, seu rationem entis, sed ex se, & ex intrinseca natura, ad necessitate sit id, quod est non potest in se habere diminutam & solum, quasi ex parte rationem, & perfectionem entis; vnde est includens totum ens, totamque entis perfectionem, quia vt iam dixi non est à quo limitetur inesse, sicut ens creatum, & participatum; esse enim limitatum accipit creatura aut ex voluntate dantis hanc, & non maiorem perfectionem, vel ex capacitate recipientis, siue illa capacitas intelligatur per modum passivæ potentie, siue tantum per modum obiectivæ: ergo si in ente independente primo, quod ex se habet suum esse nulla causa, aut ratio limitationis intelligi potest, ex eo quod nullam habeat causam sui esse, sine dubio erit illimitatum, & infinitum per essentiam, quia hæc infinitas in nullo alio consistit, nisi in hoc, quod perfectio eius non sit ita determinata, & definita ad vnum genus perfectionum, quæ nos distinguit videmus in creaturis, vt illud solum includat, & non cætera omnia eo eminentissimo modo, qui ad summam perfectionem pertinere potest, quæ summa perfectio in hoc consistit, vt formaliter contineat omne esse, quod est perfectum sine imperfectione id est omnem perfectionem simpliciter simplicem.

Atqui summa omnium perfectionum simpliciter simplicium, & radix illarum est infinitudo per essentiam: ergo infinitudo per essentiam datur in Deo formaliter.

Item consistit in hoc quod contineat eminenter omnem possibilem perfectionem creatam,

quod in hoc fundatur, quod infinitum per essentiam ita excedere debeat, simpliciter absolute, & in omni nobilitate & perfectione reliqua omnia, non solum sigillatim, sed etiam simul collecta; neque utcumque sed optimo modo possibili in genere entis, vt neque absolute, neque secundum quid, neque secundum aliquam rationem ab aliquo superari possit: atqui optimus modus superandi eo modo reliqua omnia simul sumpta, est continendo omnem perfectionem, quæ in omnibus illis reperitur sine termino, ac limite eminentiori ac excellentiori modo, quam in illis existit, quia quando vna res est perfectior aliis, non tamen continet totam perfectionem illorum, quamuis absolute sit perfectior: tamen secundum aliquam rationem contingit esse minus perfectam, vt sol est simpliciter nobilior Ioue, aut Venere, & nihilominus talia sidera aliqua dignitate, vel virtute excedunt solem, sed creatura omnes nullo modo possunt superare primum ens: ergo debet continere eminenter omnem perfectionem illarum sine limite, ac termino, ex quo euidenter sequitur primum ens esse infinitum, & illimitatum per essentiam, quia est à se, & nullam causam habet sui esse.

Minor prima, & præcipua est manifesta, quia illud ens nullam habet causam sui esse quod est à se, & à se habet suum esse, & non ab alio: sed Deus vt latissime prima questione huius disputationis probauimus, est à se, & non ab alio: ergo Deus nullam habet causam sui esse. Consequentia prima est manifesta, quia syllogismus est evidens in forma, & figura, ac proinde illatio debet esse euident, & concludere Deum habere esse illimitatum, & infinitum; cum non habeat vnde limitetur eo modo, quo habet limitans esse per participationem productum, quia nec limitatur ex parte causæ efficientis cum sit à se, & non ab alio, nec à causâ materiali, & formali, quia vt ipse simplicissima entitas expellens à se omnem compositionem nullam habet causam intrinsecam, quam formalem, & materialem vocamus; quia omnis huiusmodi causa, ad compositionem ordinatur. Tandem non potest limitari à causâ finali, quia extra Deum non est finis, seu causa finalis Dei; quia sicut non habet esse ab aliqua causa, ita non habet esse propter aliquam causam, sed à se, & propter se habet esse, & sic caret omne limitate; vnde est ita bonum, & perfectum, vt non sit tale per aliquod limitatum bonum, sed per omne bonum, vt eleganter docuit Augustinus lib. 8. de Trinitate, cap. 3. vbi postquam multas perfectiones creatas enumeravit, quatum vnaquæque est bona, & perfecta per suam quandam perfectionem finitam, & limitatam pulchre ita subiungit: [Bonum hoc & bonum illud, tolle hoc, & illud, & vide ipsum bonum si potes, ita Deum videbis non alio bono bonum, sed bonum omnis boni:] id est bonum infinitum & perfectum sine limite, & termino.

Confirmatur, quia illud est infinitum per essentiam quod est omnium ita perfectissimum in fine, ac limite; ut infra se omnia distincta à se perfecta contineat, & sub se habeat, quæ perfectione excedat, & supra se nihil excellentius, & perfectius ipso possit reperiri: sed Deus ita est omnium perfectissimus, vt omnes posibles perfectiones creatas infra se, & sub se contineat, dominetur ipsis, & infinita perfectione excedat, & supra ipsum nihil sit perfectius, & excellentius ipso: ergo Deus est infinitus per essentiam. Maior est certitas quia contrariorum est eadem disciplina, & ratio opposita

opposito modo, sed omni ente finito per essentiam quod est oppositum aut contrarium infinito per essentiam, potest aliquid aliud ens esse simpliciter perfectius, & maius, ac proinde non repugnat illi habere superius se, & ex alio capite nulli enti finito conuenit habere sub se omnes perfectiones à se distinctas: ergo infinitum per essentiam, quod est contrarium illi opposito modo se debet habere, videlicet quod supra se nihil excellentius ipso aut perfectius, aut superius possit habere, & ideo dicitur primum ens ante quod non datur aliud primum, alias non esset primum, sed secundum ens, & sub se omnia distincta à se contineat, & ratio à posteriori videtur, quia licet videamus aliquam speciem creatam habere quondam infinitatem secundum quid, aut quatenus sub se potest infinitas species minus perfectas continere, eo modo quo dicitur homo excedere quodammodo infinite bruta animalia, nihilominus tamen est finita simpliciter per essentiam, quia non repugnat illi habere Angelos supra seipso homine perfectiones essentialiter, & in ipsis Angelis intelligimus finitatem, quatenus unusquisque potest habere superiorem; unde positiua ratio infinitatis per essentiam, quæ per illam negationem significamus, nihil aliud est, quam summa, consummata & omnibus numeris absoluta excellentia cuiusdam rei, quæ maior neque esse, neque excogitari possit, ac proinde nihil illi possit deesse, quod ad summam entis perfectionem possit pertinere; unde omnes rationes quibus supra probauimus diuinam perfectionem, æque probant infinitatem eius, quia, & modus perfectionis à nobis expositus conuertitur cum infinitate recte declarata, & infinitas quatenus sub illa negatione perfectionem indicat, pertinet ad perfectionem simpliciter atque adeo ad summam entis perfectionem.

Minor præcipua pater ex supra dictis *questione præcedenti*, ubi tum rationibus tum authoritatibus Sanctorum Patrum ostendimus Deum esse tantæ perfectionis, ut non possit maius illo excogitari in perfectione, & excellentia, ac proinde ut non possit in ea habere superiorem aut æqualem entitatem, quæ sit distincta naturæ ab ipsa; unde in ea excellentia continetur talis eminentia, & illimitatio cui conueniat continere omnes perfectiones possibiles, & cogitabiles continentia quidem formali vel eminentiali cum summa perfectione possibili in quacunque perfectione, & modo habendi illam sine termino vlllo, etiam si in infinitum in eis procedatur in gradu maioris, & maioris perfectionis sine limite, quæ excellentia, seu infinitudo conuenit deo formaliter ex vi independentiæ ab alio, & quia non habet causam à qua possit limitari, quod his aureis verbis docuit Diuus Thomas *lib. 1. contra Gentiles, cap. 43. argumento 5.* ibi: [amplius ipsum esse absolute consideratum, infinitum est; nam ab infinitis & finitis modis participari possibile est; si igitur alicuius esse sit finitum, oportet quod limitetur esse illud per aliquid aliud quod sit aliquid causa illius esse, vel receptiuum eius, sed esse diuini non potest esse aliqua causa, quia ipse est necesse esse per se ipsum, necesse eius est receptiuum, cum ipse sit suum esse: ergo esse suum est finitum, & ipse infinitus.

Sed aduerte cum Patre Suarez, hanc negationem infinitatis posse addi vel ipsi esse, seu essentia diuinæ ut sic, quatenus adæquato conceptu licet confuso intelligitur comprehendere totam perfectionem essentialem dei, vel etiam addi posse peculiaribus attributis, quomodo dicimus sapientiam

dei esse infinitam, & scientiam & præscientiam, & similia priori: ergo modo ponitur hoc loco, attributum speciale infinitatis, aliis vero accommodatur cum proportionem, ut singulis videbimus vnumquodque enim dicitur in tali genere infinitum, quatenus in illo habet totam perfectionem possibilem, nec potest cogitari talis perfectio in altiori gradu; unde secundum nostrum modum concipiendi, potest à priori demonstrari infinitas vniuscuiusque attributi ex infinita essentia, à posteriori vero infinitas essentia ex infinitate omnipotentia, verbi gratia, ut fieri solet, quia facilius cognoscitur. Re tamen vera infinitas simpliciter essentia diuinæ infinitatem omnium complectitur attributorum, eodem modo, quo supra diximus omnia esse de essentia eius.

Secundo principaliter probatur ratione, quia videtur Diuus Thomas *lib. 1. contra Gentiles, cap. supra citato*, quia omne id, quod habet potentialitatem aliquam est finitum ac limitatum per essentiam: sed deus nullam habet potentialitatem: ergo deus est infinitus per essentiam & non limitatus.

Maiores est certa in omni creatura; omnis enim creatura, quia ipsi permiscetur potentialitas, habet terminum suæ perfectionis, ac limitem in ea, nam potentialitas imperfectio est; unde est terminus in habendo perfectionem, quia negat maiorem; unde cui negatur aliqua perfectio, ita continetur, & definitur ad aliquem gradum perfectionis, ut ultra illum non possit progredi, quæ imperfectio habet: ergo omne id, quod habet potentialitatem est finitum, & limitatum per essentiam. Consequentia illa primi syllogismi est manifesta, quia contrariorum eadem est disciplina, & ratio, sed cui admiscetur aliqua potentialitas habet terminum suæ perfectionis: ergo à contrario sensu, cui non permiscetur potentialitas non habebit terminum suæ perfectionis, neque limitem, aut finem illius, sed res sine fine, termino, & limite est finita, & illimitata: ergo deus, qui nullam habet potentialitatem est infinitus, & illimitatus.

Probatur minor, in qua est difficultas, illud habet potentialitatem aliquam, cui deficit aliquis actus aut perfectio; nam habere potentialitatem est esse in potentia ad aliquem actum, seu ad aliquam perfectionem, & esse in potentia est habere potentiam carendo actu, aut perfectione petita à tali potentia: sed quod caret aliqua perfectione est, quia illi deficit talis perfectio: sed deo nulla potest deficere perfectio, ut patet ex supradictis: ergo deus nullam habet potentialitatem.

Vergetur, quia deus est actus purus: sed quod est actus purus nullam potest habere sibi admixtam potentialitatem: ergo deus nullam potentialitatem habet: Minor est certa, quia id quod est purum in vno genere, non potest habere admixtionem sibi oppositi generis, ut purus spiritus nihil potest habere corporis, & purum sanctum nihil potest habere peccati, sicut purum vinum nihil habet aquæ, alias non purum sed mixtum esset: sed potentialitas est opposita actualitati: ergo purus actus nihil habet admixtum potentia actus, ut autem hoc intelligatur, aduerte purum actum, ut dici id quod excludit potentiam obiectiuam, seu omnem statum existendi tantum in potentia, qui repugnat enti puro actuali & ab intrinseco necessario, ut per se constat; item dicitur id quod excludit omnem potentiam passiuam, veram, & realem; unde quoad hanc partem, quo incidit hæc proprietas cum simplicitate; non excluditur actus

per illam vocem potenti actiua: nam potius vnum-
quodque agit in quantum est in actu: unde ipsa
vis agendi actualitas quaedam est, quae potius vir-
tutis, vel facultatis nomen meretur, quam poten-
tia. Qua tamen semper actu agit, ideo potentia
etiam proprie appellatur; huiusmodi autem ratio
potentiae non pertinet ad imperfectionem, quia
actu agere non semper est perfectio agentis, ut la-
tius declarabitur in sequentibus. Atque ita con-
stat, purum actum praeter actualitatem primi
entis solum addere negationem, qua perfectio il-
lius entis declaratur: de qua negatione nihil dic-
endum superest.

13 Confirmatur, quia omne id, in cuius substantia
admixetur potentia secundum id quod habet de
potentia, potest non esse, quia quod potest esse po-
test non esse; deus autem secundum se non potest
non esse cum sit sempiternus; in deo igitur non
est potentialitas ad esse, unde est purus actus, prae-
cipue quia id quod est per se necesse esse, nullo
modo est possibile esse per potentialitatem essen-
di; quia quod est per se necesse esse, non habet
causam; omne autem quod est possibile esse ha-
bet causam, Deum autem per se est necesse esse;
nullo igitur modo est possibile esse nihil: ergo po-
tentialitatis habet in sua substantia, ac proinde est
actus purissimus, quia deus est primum agens, ac
proinde toto se agit, quia si se toto non ageret
non esset agens per essentiam, ac proinde non es-
set primum agens, vnumquodque enim agit se-
cundum quod est actu, quod igitur non est totus
actus non toto se agit sed aliquo sui: sed Deus
toto se agit, quia non agit alicuius participatio-
ne, sed per essentiam: ergo est totus actus, ac
proinde purus actus sine potentialitate, alias pate-
retur aliquid deus, & esset passibilis, & corru-
ptibilis; quia vnumquodque sicut natum est
agere in quantum est actu, ita natum est pati in
quantum est impotentia, seu habet potentialita-
tem; nam motus est actus entis in potentia secun-
dum quod in potentia est: sed deus per vos est
impotentia: ergo patitur, & passibilis est: sed
deus est omnino impassibilis: ergo nullo modo
habet potentialitatem: sed est purus, quia hoc
habet ex eo, quod sit purum ens, ut his verbis
probat D. Thomas: [quamvis id quod quan-
doque est in potentia, quandoque actus prius sit
tempore in potentia, quam in actu, tamen sim-
pliciter actus est prior potentia, quia potentia
non educit se in actum, sed oportet quod educatur
in actum per aliquid, quod sit actu. Omne igitur,
quod est aliquo modo in potentia, habet aliquid
prius se; Deus autem est primum ens, & prima
causa, ut ex supradictis patet; non igitur habet
in se aliquid potentiae admixtum, videmus ali-
quid esse in mundo, quod exire de potentia in
actum, non autem educit se de potentia in actum,
quia quod est potentia, nondum est; unde nec
agere potest; ergo oportet esse aliquid aliud
prius, quo educatur de potentia in actum; & ite-
rum, si hoc est ens de potentia in actum, oportet
ante hoc aliquid aliud poni, quo reducatur
in actum, hoc autem in infinitum procedere non
potest: ergo oportet deuenire ad aliquid, quod
est tantum actu, & nullo modo in potentia, &
hoc dicimus Deum.]

14 Tandem quoniam nihil est potentia respectu
eorum a quibus impossibile est, ut actuatur, vel
respectu eorum, quae includit in essentia: sed
Deus includit in sua essentia perfectiones omnes
simpliciter: ergo impossibile est, ut actuatur ab
I. P. Tom. II.

vlla forma habente annexam imperfectionem
aut ab alia quacunque perfectione: ergo nullo
modo est impotentia. Maior propositio quoad
posteriores partes est evidens, nam impossibilitas
tollit possibilitatem, & consequenter potentiam,
quae nequit esse sine illa; quoad primam vero
ostenditur, quia semper in actu multo ratio actus
praecedat rationem potentiae; haec enim in illo
fundatur: at nulla res praecedat ea ex quibus es-
sentialiter constituitur: ideoque respectu ipso-
rum non est potentia. Responderi potest, & si
nihil sit potentia ad ea, quae essentialiter inclu-
dit, fieri tamen posse ut eadem inter se habeant
rationem actus, & potentiae: nam homo essen-
tialiter includit corpus, & animam ad quae non
est in potentia: & tamen corpus est in potentia
respectu animae, quod sufficit ut homo non sit
actus purus etiam secundum essentialia: & ita
non recte colligi Deum esse actum purum ex eo
quod essentialiter includat omnem perfectionem
simpliciter. Verum solutio non est adaequata,
nam si perfectiones simpliciter & essentialiter in-
clusa in essentia diuina essent instar earum, quae
includuntur in creatura cum distinctione, depen-
dentia & causalitate, qualis reperitur inter ma-
teriam, & formam, tunc ex inclusione essentiali
minime sequeretur ratio actus puri; at quando
nulla est distinctio, dependentia, & causalitas,
ut reuera non est in diuinis, ex inclusione recte
sequitur pura actualitas; & confirmatur, quo-
niam rationes essentialiter coeuntes in vnum prae-
cedunt ipsum, & consequenter si inter se habent
rationem potentiae, & actus ad existentiam con-
stituti ex illis, necesse est ut praecedat causa
actiua, quae passiuam reducat ad actum: impos-
sibile est autem, ut ante Deum sit vlla potentia
actiua: ergo repugnat rationes eius essentialiter
habere mutuo rationem actus, & potentiae. Ter-
tio ens primum non potest villo modo habere vl-
lam potentialitatem: Deus est ens primum: ergo
expers potentialitatis. Maior propositio patet,
quoniam inter actum, & potentiam, est ordo
prioris, ac posterioris, ita ut respectu eiusdem
sit prior potentia, quam actus, ut docet Philoso-
phus *libr. prim. de Caelo, text. 132*. prius enim est
potentia ad esse quam esse: nam prius est vita in
potentia in semine, quam sit actu in planta ab-
solute vero sit prior actus, quam potentia; nam
haec dicit ordinem essentialiter ad potentiam acti-
uam, a quo existente actu reducuntur ad actum:
& ita ante ipsum semen praecessit aliquid actu
viuens, a quo decissum est: ex quibus sequitur id
quod aliquomodo est in potentia, vel includit po-
tentiam, non esse primum ens, nam si est in po-
tentia, praecedat oportet aliud ens actu, a quo ra-
ducatur de potentia ad actum: si includit poten-
tiam, cum ea supponat aliud ens actu, & sit
prior includente, fieri nequit ut hoc sit pri-
mum ens.

Hoc ipsum constat discurrendo per singula ge-
nera, & modos potentiae passivae, non enim in
Deo est potentia obiectiua, quoniam non potest
non esse: non realis, quoniam non admittit pri-
uationem proprie dictam, quae necessario illam
comitatur; non obiectiua, quoniam non est
vlla causa superior, cui subordinetur: non na-
turalis, quoniam est perfectus in omnibus sibi
debitis ex natura; non supernaturalis, quoniam
ipse est summa essentia, ac natura, supra quam
nihil est, ad quod possit eleuari: non Physica,
quoniam est spiritualis, & incapax formae Phy-
sicae.

sic; non Metaphysica, quoniam est ipsum esse per essentiam, & consequenter non est actu per ullam formam à se distinctam: sed totum, quod est à se ipso, & seipso formaliter est, ut superius ostendi: nihil autem quod est potentia, est à se ipso, vel seipso formaliter, sed vel causaliter, & formaliter simul ab alio, sicut aqua est calida causaliter ab igne formaliter, à calore: vel saltem causaliter ab alio, ut existentia creaturæ à Deo. Ex quo patet Deum non solum esse simpliciter actu, & nullo modo in potentia: sed esse ipsummet actum purum ac sincerum ab omni etiam minima potentialitatis labe immunem.

Denique, ut supra ostendi, Deus est ipsum, esse per essentiam, ipsi vero esse nihil admisceri potest: Ergo Deus est actus absque vlla permissione potentiae. Assumptio asseritur à Boëtio, *lib. de hebdom.* ubi quamvis concedat ipsum quod est posse habere aliquid admisceri, negat tamen ipsi esse posse aliquid aliud admisceri. Ratio vero est, quoniam ipsum esse est vltima actualitas, quæ formari, aut perfici amplius nequit vlla notia actualitate: Quemadmodum enim differentia vltima non admittunt additamentum in eodem genere: & ideo species specialissima diuidi vltius nequeunt in alias species, ita etiam vltima actualitas actuari amplius nequit, & in hoc consistit præcipuum discrimen inter Deum & creaturas quoad rationem actus puri: ut enim recte docet D. Thomas *quæst. vii. de spiritali creatura, artic. 1.* nulla forma, aut natura creata, quantumcumque spiritalis, & simplex, eo peruenit, ut sit suum esse: & ideo, quamvis non sit in potentia passiva ad alias formas à se distinctas, necessario est in potentia ad proprium esse cum quo non necessario coniuncta est: quapropter non est purus actus: Deus autem non solum non est in potentia ad ullam formam secundum quam sit, sed nec ad ipsum esse: hoc enim est de eius essentia, non solum quatenus substantia est, sed quatenus est sapientia, iustitia, & denique omnia quæcumque est: non enim in eo est aliud subsistens, & forma qua subsistit, nec aliud forma, & esse per formam, sed est ipsum actuale esse omnium perfectionum simpliciter; & hoc intelligunt Doctores, cum Deum vocant actum purum.

¹⁶ Hoc docet expresse Augustinus *lib. 15. de Trinitate, cap. 16.* ibi: [sed forma neque in formis, neque formata ipsa ibi aeterna est, incommutabilisque substantia], & de verbis Domini in Evangelium secundum Ioannem *Sermone 8.* ubi sic ait: [est enim forma quædam non formata, sed forma omnium formatorum forma incommutabilis sine lapsu, sine defectu;] in quibus verbis tres proprietates assignat deo prima est ut sit forma, non formata. & ideo docuit ipse Divus Augustinus *libro despeculo, cap. 21.* Deum esse formam carentem alia forma, ibi: tua diuina substantia semper forma carens alia forma, & carens materia; Vnde Rupertus *lib. 1. in Exodusum, cap. 14.* hæc profert: [Dei substantia forma simplex est sine vlla materia, ac proinde est, quod est] secunda proprietas, ut non sit formabilis, tertia ut sit omnium formarum forma, quæ opponuntur tribus imperfectionibus formarum creaturarum.

¹⁷ Etenim ut bene notat Divus Bonaventura, *in 2. distinct. 2. qua. 6. ad pen.* licet omnis forma, ac perfectio secundum quod forma est præcisè formari nequeat, non enim anima ra-

tionalis in ratione rationalis formari potest per aliam formam, neque sapientia quatenus sapientia formabilis est ab alia forma, quod indicat Boët. *lib. 1. de Trinitate.* asserens formas non posse esse subiecta, tamen quatenus habet in se aliquam informitatem & imperfectionem, perfici adhuc, & formari potest: omnis autem forma creata considerata secundum suam præcisè rationem, ut ait Auerr. *lib. de anima* infra citando, habet aliquam informitatem, & ita est formata & formabilis, quædam enim sunt formate, quandoquidem in suo genere non sunt vltimæ, atque completæ: quæ ratione in sententia eorum, qui concedunt in eodem composito Physico plures formas, forma corporeitatis se habet ad animam urgentiam, & hæc adsentiam & rationalem, formantur enim priores per posteriores: & natura generis, quæ est forma Metaphysica, & vniuersalis, formatur per differentias contrahentes quæ sunt formæ magis particulares. Hanc imperfectionem remouet Augustinus, in Deo cum ait forma non formata, & hoc ipso excluditur à Deo ratio incompleti, & imperfecti, quæ semper est coniuncta cum formis formatis.

Alia vero creata formæ, licet non sint substantialiter formate, quia in genere formæ substantialis sunt vltimæ, & completæ: ut se habet anima hominis, & Angelus, non enim formari substantialiter possunt, tamen formabiles accidentaliter per accessum perfectionum accidentalium supplementum finitudinem perfectionis substantialis: Deus autem non est formabilis, quoniam non caret vlla perfectione, ideoque nequit ex informi reddi formatus, esset enim motui subiectus: vtramque rationem attingit Augustinus illis verbis, forma incommutabilis, ne lapsu, sine defectu, quia præhabet omnem rationem perfectam formæ propter quod dixit Auerr. *lib. 12. Metaphysicæ, comment. 24.* formam primi mouentis esse quodam modo omnem formam incommutabilis & sine lapsu, quia non potest in ipsa fieri transitus à priuatione ad habitum; vel è contra ideoque recte dixit Auerr. *lib. text. de anima, comment. quint.* nullam reperiri formam abstractam, quæ sit simpliciter, & penitus expertis alicuius potentia præter primam formam. Quæ omnia expresse Boëtius *lib. 1. de Trinitate*, cum Deum appellauit formam sine materia intellige potentialitate extrinseca, vel intrinseca: extrinseca in qua sit, intrinseca, ex qua sit, quoniam neque est forma informans, neque formata, aut formabilis, quod optime explicauit Gilbertus ad eum locum his verbis. [Reuera diuina substantia, est forma sine materia, nam neque *an*, tanquam principium sui & materiam in qua eam esse necesse sit habere potest, *etia*, Principij, neque sic inest principio idest Deo, ut posterioris rationis naturas aliquas, vel se componentes, vel sibi adiacentes habeat in illo; ex quibus ipse sit, & quarum ex causa prioris, ad cuius pertineant potestatem materia esse possit.

Denique formæ omnes create saltem extrinsecus formantur ab exemplari diuino, & accipiunt esse à forma Dei, non quidem actuante se instar sigilli omnibus propriam rationem imprimentis, ut ait Augustinus, *lib. de speculo, cap. 21.* & ea de causa eam vocat formam omnium rerum, & *lib. 2. de libero arbitrio, cap. 17.* ait: [Constituitur itaque, ut & corpus & animal, forma quadam incommutabili, & semp-

Quaest. III. Vtrum Deus sit infinitus. 195

per manente formetur; quam mox explicat esse Deum. Itaque diuinitas cum omnia formet ipsa à nulla alia forma intrinsecus, aut extrinsecus formatur, & ideo est forma omnium perfectissima, & absolutissima habens esse in omni moda actualitate, & completionem, ut ait Diuus Bonaventura in 2. distinct. 12. art. 1. q. 1. ad penultimum, his enim omnibus Diuus Augustinus sine dubio conuincit Deum esse actum purum, segregatum ab omnipotentia, nam cum forma sit actus, vt ait Philosophus, lib. 9. metaph. text. 17. deinde Deum esse formam non informantem, neque formabilem sine dubio asserit esse actum completum sine vlla potentialitate, aut passiva, aut partialis forma, nam licet forma informans non sit in potentia ad aliud esse formae partialis, est tamen quodammodo in potentia ad esse formale totius. Quod est perfectius ipso esse cuiusvis partis: Quia de causa Philosophus, lib. 2. Physicorum, text. 31. & alibi dixit partes habere rationem materiae respectu totius, hoc vero respectu illarum habere rationem formae, & ita forma informans, quae est forma partis, nunquam est in vltima actualitate: Atque adeo non est actus purus, quia habet rationem potentiae, namque, vt docet Auerreos, ubi proxime omnia illa, quae interiacent inter primam materiam, siue subiectum, & actum vltimum sunt mista ex potentia, & actu; ergo si Deus est forma non informans, erit actus non actuans intrinsece ac proinde expellens potentialitatem formae partialis actuantis.

18 Per illam autem particulam [neque formabilis, aut informis] & formata excluditur à Deo potentialitas passiva, quoniam quamvis forma non sit informans, sed subsistens; si tamen sit adhuc formabilis per aliam formam, non est actus purus; quidquid enim formabile est, aut informe, aut formatum habet informatem, & potentiam ad esse accipiendum à forma, qua formabile est: omnis enim forma dat esse vt constitat, ideoque quod est formabile, aut informe est in potentia ad esse formale; qui est effectus formae atque adeo non est actus purus: sed Deus est forma non informant, neque formabilis, neque formata, neque informis: ergo est actus non actuans, neque actuabilis, neque actuatus: ergo est actus purissimus sine vlla potentialitate, ac proinde infinitus, nullisque terminis potentialitatis circumscriptus.

19 Vltimo confirmatur haec veritas ex modo loquendi Patrum, & Conciliorum, nam quotiescumque loquuntur de Deo nomine abstracto loquuntur, ac proinde sepiissime asserunt in Deo idem esse habere aliquam perfectionem, & esse illam: vel non esse aliud habens, & aliud, quod habetur, & ideo dicunt vere, & proprie dici: [Deitas est deus, & deus est deitas], vt videre est apud Bernardum Sermone, 80. in Cant. Fulgentium responsione 2. ad Ferrandum Diaconum: vnde definitum est in Concilio Rhemeni, Can. 1. quod refert Orho, Episcopus Frisingensis lib. 1. de rebus gestis, Friderici primi Imperatoris, c. 57.

20 Nam forma, quae non est actus purus non subsistens, non est idem cum habente ipsam; propterea enim dixit Philosophus lib. 9. metaph. text. 12. quod homo est albus, non albedo, quoniam subiectum subsistens sub forma est aliud ab ipsa: & ideo semper in his est falsa praedicatio abstracti de concreto; contra vero, quia forma diuina non est concreta cum materia, neque cum vlla po-

tentialitate, in deo idem est habens, & habitum, & propterea vt bene notat Diuus Thomas, quaest. 2. de potentia, art. 1. & prima pars, quaest. 40. art. 1. ad primum, in Deo vere praedicantur abstracta de concretis, & concreta de abstractis, & ideo ait Chrysostomus, [Deus ita est iustus, vt sit pura iustitia, ita est sapiens, vt sit pura sapientia, ita est bonus vt sit ipsa bonitas, & ita est actus, seu forma, vt sit purus actus, & pura forma.] Vnde Diuus Augustinus lib. 11. de Ciuili, art. cap. 10. Et sententia 366. quae decepta est ex tract. 99. in Ioann. quae sic habet: [diuina substantia id quod habet, est: & per hoc non sic habet scientiam, vt aliud sit scientia qua sit aliud essentia, quae est:] eodem modo loquitur, lib. 15. de Trinitate, cap. 17. D. Hilar. lib. 8. de Trinitate, in intermedium, ac finem, iust. respons. 144. ad Orihod. Greg. lib. 16. moral. cap. 20. super illa verba: [Qui autem non nouerunt eum, ignorant dies illius], & lib. 18. cap. 27. super illa: [Non commemorabuntur], & D. Bernard. lib. 5. de consideratione, cap. 7. & Serm. 80. in Cant. Hugo Victor. lib. de sacr. p. text. cap. 27. Diuus Prosper, lib. contra collationem, post medium: [virtus (inquens) principaliter Deus est, cui non aliud est habere virtutem, quam esse virtutem], idem docet Richardus de Sancto Victor. lib. 1. de Trinitate, cap. 22. & Marius Victor lib. 1. aduers. Arium, in ex principium, & medium, ubi docet ipsum habere, cum Deo dicitur, secundum intellectum accipi debere, quoniam non habet, sed ipsum est quidquid habere dicitur.

Quod adeo verum est, vt si proprie loquendum sit, non dici debeat Deus habere virtutem, aut sapientiam: quoniam hic loquendi modus indicat Deum non esse ipsam virtutem, aut sapientiam subsistentem, sed esse sapientem, aut bonum participatione virtutis, aut bonitatis à se distincta, & ita aequè improprie dictum putat idem Richardus lib. secund. de Trinitate, cap. 13. ac si dicamus Alexandrum habere hominem, sic enim ait: [dicimus item ipsum hominem, dicimus nihilominus Deum sapientiam habere, & videtur enuntiatio aequiuoca esse, sed de Deo non dicitur, nisi abusive, nec minor abusus videtur, quam Abraham non homo esse, sed hominem habere diceretur.] conuenit Anselmus, in monolog. cap. decimoquinto, quo loco [quoniam (inquit) summa natura non proprie dicitur iusta, quia habet iustitiam, sed existit iustitia, cum dicitur iusta, proprie intelligitur existens iustitia, non autem habens iustitiam], & ideo Ioannes Cyparisiota, notauit decad. 10. cap. 7. in fine, non putandum in natura diuina aliud esse cognitionem, aliud caritatem & cetera, quia illa habere dicitur: sed potius esse ipsam substantiam, & existentiam: quae cum illa omnia sit ea vt se ipsam habet: Ex hoc Patrum dogmate sic probatur intentum, Omne subiectum cui vere conuenit perfectio ab ipso ex natura rei distincta, per quam formatur atque perficitur, potest vere, ac proprie dici habens illam, & illa habita, & non esse idem habere, & esse, sed distingui: nam subiectum dicitur habere, forma autem dicitur esse: exempli causa, homo dicitur habere animam, non vero esse ipsa vero anima est, non habet: corpus dicitur habere, non tamen esse figura: figura vero est, non habet se. De mente vero Patrum in Deo non aliud est habere, ac esse: imo potius non vere dicitur habere, sed esse: ergo est forma non formata.